

*Sic scriptum est, Christum pati,  
et resurgere a mortuis die tertia.*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

24, 35-48

In illo témpore:

<sup>35</sup> **N**arrábant discípuli, quæ gesta erant in via,  
et quómo modo cognovérunt Iesum in fractióne panis.

<sup>36</sup> Dum hæc autem loquúntur,  
ipse stetit in médio eórum  
et dicit eis:  
«Pax vobis!».

<sup>37</sup> Conturbáti vero et contérriti  
existimábant se spíritum vidére.

<sup>38</sup> Et dixit eis:  
«Quid turbáti estis,  
et quare cogitatiónes ascéndunt in corda vestra?

<sup>39</sup> Vidéte manus meas et pedes meos,  
quia ipse ego sum!  
Palpáte me et vidéte,  
quia spíritus carnem et ossa non habet,  
sicut me vidétis habére».

<sup>40</sup> Et cum hoc dixisset,  
osténdit eis manus et pedes.

<sup>41</sup> Adhuc autem illis non credéntibus  
præ gáudio et mirántibus,  
dixit eis:  
«Habétis hic áliquid, quod manducétur?»

<sup>42</sup> At illi obtulérunt ei partem piscis assi.

<sup>43</sup> Et sumens coram eis manducávit.

<sup>44</sup> Et dixit ad eos:  
«Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos,  
cum adhuc essem vobíscum,

quóniam necesse est impléri ómnia,  
quæ scripta sunt  
in Lege Móysis et Prophétis et Psalmis de me».

<sup>45</sup> Tunc apéruit illis sensum,  
ut intellégerent Scriptúras.

<sup>46</sup> Et dixit eis:

«Sic scriptum est,  
Christum pati  
et resúrgere a mórtuis die tértia,

<sup>47</sup> et prædicári in nómine eius pæniténtiam  
in remissionem peccatórum  
in omnes gentes,  
incipiéntibus ab Ierúsalem.

<sup>48</sup> Vos estis testes horum».

Verbum Dómini.